



# LEKTO

## IM LABOR DER MODERNE: OVID, METAMORPHOSEN II

• TEXTE ZUR VORLESUNG •  
9. JUNI 2022

PROF. DR. JÜRGEN PAUL SCHWINDT  
UNIVERSITÄT HEIDELBERG



## ECHO UND NARCISSUS

### I. *Ov. met. 3, 339-510*

(P. Ovidi Nasonis *Metamorphoses* recognovit brevique adnotatione critica instruxit R.J. TARRANT, Oxford 2004)

Ille per Aonias fama celeberrimus urbes  
inreprehensa dabat populo responsa petenti; 340  
prima fide uocisque ratae temptamina sumpsit  
caerula Liriope, quam quondam flumine curuo  
implicuit clausaeque suis Cephisos in undis  
uim tulit. enixa est utero pulcherrima pleno  
infantem nymphe, iam tum qui posset amari, 345  
Narcissumque uocat. de quo consultus, an esset  
tempora maturae uisurus longa senectae,  
fatidicus uates 'si se non nouerit' inquit.  
uana diu uisa est uox auguris; exitus illam  
resque probat letique genus nouitasque furoris. 350

Namque ter ad quinos unum Cephisius annum  
addiderat poteratque puer iuuenisque uideri.  
multi illum iuuenes, multae cupiere puellae;  
sed (fuit in tenera tam dura superbia forma)  
nulli illum iuuenes, nullae tetigere puellae. 355  
aspicit hunc trepidos agitantem in retia ceruos  
uocalis nymphe, quae nec reticere loquenti  
nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.  
corpus adhuc Echo, non uox erat, et tamen usum  
garrula non alium quam nunc habet oris habebat, 360  
reddere de multis ut uerba nouissima posset.  
fecerat hoc Iuno quia cum deprendere posset  
sub Ioue saepe suo nymphas in monte iacentes,  
illa deam longo prudens sermone tenebat  
dum fugerent nymphae. postquam hoc Saturnia sensit, 365  
'huius' ait 'linguae, qua sum delusa, potestas  
parua tibi dabitur uocisque breuissimus usus',  
reque minas firmat; tantum haec in fine loquendi



ingeminat uoces auditaque uerba reportat.  
ergo ubi Narcissum per deuia rura uagantem 370  
uidit et incaluit, sequitur uestigia furtim  
quoque magis sequitur, flamma propiore calescit,  
non aliter quam cum summis circumlita taedis  
admotas rapiunt uiuacia sulphura flammis.  
o quotiens uoluit blandis accedere dictis 375  
et molles adhibere preces! natura repugnat  
nec sinit incipiat; sed, quod sinit, illa parata est  
exspectare sonos, ad quos sua uerba remittat.  
forte puer comitum seductus ab agmine fido  
dixerat ‘ecquis adest?’ et ‘adest’ responderat Echo. 380  
hic stupet, utque aciem partes dimittit in omnes,  
uoce ‘ueni’ magna clamat; uocat illa uocantem.  
respicit et rursus nullo ueniente ‘quid’ inquit  
‘me fugis?’ et totidem quot dixit uerba recepit.  
perstat et alternae deceptus imagine uocis 385  
‘huc coeamus’ ait, nullique libentius umquam  
responsura sono ‘coeamus’ rettulit Echo  
et uerbis fauet ipsa suis egressaque silua  
ibat ut iniceret sperato bracchia collo.  
ille fugit fugiensque ‘manus complexibus aufer; 390  
ante’ ait ‘emoriar, quam sit tibi copia nostri.’  
rettulit illa nihil nisi ‘sit tibi copia nostri.’  
spreta latet siluis pudibundaque frondibus ora  
protegit et solis ex illo uiuit in antris.  
sed tamen haeret amor crescitque dolore repulsae; 395  
attenuant uigiles corpus miserabile curae  
adducitque cutem macies et in aera sucus  
corporis omnis abit. uox tantum atque ossa supersunt:  
uox manet; ossa ferunt lapidis traxisse figuram.  
[inde latet siluis nulloque in monte uidetur, 400  
omnibus auditur; sonus est qui uiuit in illa.]  
Sic hanc, sic alias undis aut montibus ortas  
luserat hic nymphas, sic coetus ante uiriles.  
inde manus aliquis despectus ad aethera tollens  
‘sic amet ipse licet, sic non potiatur amato’ 405  
dixerat: adsensit precibus Rhamnusia iustis.  
fons erat inlimis, nitidis argenteus undis,  
quem neque pastores neque pastae monte capellae



contigerant aliudue pecus, quem nulla uolucris  
nec fera turbarat nec lapsus ab arbore ramus; 410  
gramen erat circa quod proximus umor alebat,  
siluaque sole locum passura tepescere nullo.  
hic puer et studio uenandi lassus et aestu  
procubuit faciemque loci fontemque secutus;  
[dumque sitim sedare cupit, sitis altera creuit,] 415  
dumque bibit, uisae correptus imagine formae  
[spem sine corpore amat, corpus putat esse quod unda est.]  
adstupet ipse sibi uultuque immotus eodem  
haeret, ut e Pario formatum marmore signum.  
spectat humi positus geminum, sua lumina, sidus 420  
et dignos Baccho, dignos et Apolline crines  
impubesque genas et eburnea colla decusque  
oris et in niueo mixtum candore ruborem,  
cunctaque miratur, quibus est mirabilis ipse.  
se cupit imprudens et qui probat ipse probatur, 425  
dumque petit petitur, pariterque accendit et ardet.  
inrita fallaci quotiens dedit oscula fonti!  
in mediis quotiens uisum captantia collum  
bracchia mersit aquis nec se deprendit in illis!  
quid uideat nescit, sed quod uidet uritur illo 430  
atque oculos idem qui decipit incitat error.  
credule, quid frustra simulacra fugacia captas?  
quod petis est nusquam; quod amas, auertere, perdes.  
ista repercussae quam cernis imaginis umbra est.  
nil habet ista sui; tecum uenitque manetque, 435  
tecum discedet—si tu discedere possis.

Non illum Cereris, non illum cura quietis  
abstrahere inde potest, sed opaca fusus in herba  
spectat inexpleto mendacem lumine formam  
perque oculos perit ipse suos; paulumque leuatus, 440  
ad circumstantes tendens sua bracchia siluas  
‘ecquis, io siluae, crudelius’ inquit ‘amauit?  
scitis enim et multis latebra opportuna fuistis.  
ecquem, cum uestrae tot agantur saecula uitae,  
qui sic tabuerit, longo meministis in aeuo? 445  
et placet et uideo, sed quod uideoque placetque  
non tamen inuenio.’ (tantus tenet error amantem!)  
‘quoque magis doleam, nec nos mare separat ingens



nec uia nec montes nec clausis moenia portis;  
exigua prohibemur aqua. cupit ipse teneri; 450  
nam quotiens liquidis porreximus oscula lymphis,  
hic totiens ad me resupino nititur ore.  
posse putes tangi; minimum est quod amantibus obstat.  
quisquis es, huc exi! quid me, puer unice, fallis  
quoue petitus abis? certe nec forma nec aetas 455  
est mea, quam fugias; et amarunt me quoque nymphae.  
spem mihi nescioquam uultu promittis amico,  
cumque ego porrexi tibi bracchia, porrigis ultro;  
cum risi, adrides; lacrimas quoque saepe notau  
me lacrimante tuas; nutu quoque signa remittis 460  
et, quantum motu formosi suspicor oris,  
uerba refers aures non peruenientia nostras.  
iste ego sum! sensi, nec me mea fallit imago.  
uror amore mei, flammam moueoque feroque.  
quid faciam? rogem anne rogem? quid deinde rogabo? 465  
quod cupio mecum est; inopem me copia fecit.  
o utinam a nostro secedere corpore possem!  
uotum in amante nouum: uellem quod amamus abesset.  
iamque dolor uires adimit nec tempora uitae  
longa meae superant primoque extinguo in aeuo. 470  
nec mihi mors grauis est posituro morte dolores;  
hic qui diligitur uellem diuturnior esset.  
nunc duo concordem anima moriemur in una.’  
Dixit et ad faciem rediit male sanus eandem  
et lacrimis turbauit aquas, obscuraque moto 475  
reddita forma lacu est. quam cum uidisset abire,  
‘quo refugis? remane nec me, crudelis, amantem  
desere,’ clamauit; ‘liceat quod tangere non est  
aspicere et misero praebere alimenta furori.’  
dumque dolet, summa uestem deduxit ab ora 480  
nudaque marmoreis percussit pectora palmis.  
pectora traxerunt roseum percussa ruborem,  
non aliter quam poma solent, quae candida parte,  
parte rubent, aut ut uariis solet uua racemis  
ducere purpureum nondum matura colorem. 485  
quae simul aspexit liquefacta rursus in unda,  
non tulit ulterius sed, ut intabescere flauae  
igne leui cerae matutinaeque pruinae



sole tepente solent, sic attenuatus amore  
liquitur et tecto paulatim carpitur igni. 490  
et neque iam color est mixto candore rubori  
nec uigor et uires et quae modo uisa placebant  
nec corpus remanet, quondam quod amauerat Echo.  
quae tamen ut uidit, quamuis irata memorque  
indoluit, quotiensque puer miserabilis ‘eheu!’ 495  
dixerat, haec resonis iterabat uocibus ‘eheu!’  
cumque suos manibus percusserat ille lacertos,  
haec quoque reddebat sonitum plangoris eundem.  
ultima uox solitam fuit haec spectantis in undam:  
‘heu frustra dilecte puer!’ totidemque remisit 500  
uerba locus, dictoque ‘uale’ ‘uale’ inquit et Echo.  
ille caput uiridi fessum submitit in herba;  
lumina mors clausit domini mirantia formam.  
(tum quoque se, postquam est inferna sede receptus,  
in Stygia spectabat aqua.) planxere sorores 505  
Naides et sectos fratri posuere capillos,  
planxerunt Dryades; plangentibus adsonat Echo.  
iamque rogum quassasque faces feretrumque parabant:  
nusquam corpus erat; croceum pro corpore florem  
inueniunt foliis medium cingentibus albis. 510